

00 662

294²
qm.



20

77

M E D I C A T I O
I U V E N I S
F E B R I T E R T I A N A
Intermittente Laborantis:

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

S U B P R A E S I D I O

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I ,

Reip. Vlrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

P E T R U S P E S S E R v a n V E L S E N , R o n o - B a t a y u s .

Ad diem 19. Maii, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,

E x O f f i c i n â Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typograph,

A N N O C I C I C C X L V I I .



*Nobilissimo, prudentissimo, Strenuoque
V I R O,*

**D. PETRO van ROON
Domino in Roon, PEN-
DRECHT, &c.**

Hanc (propter eximiæ singularis-
que benevolentiaæ effecta) Medicina-
tionem, verè humiliter, ingenue, re-
verenterque exhibeo

PETRUS PESSER van VELSE

1650
R. van Roon
Medicinæ
PENSER

M E D I C A T I O
I U V E N I S
F E B R I T E R T I A N A
Intermittente Laborantis:

I.

IUvenis viginti octo annorum, robustus & validus, postquam cibo opiparo & potui generosiori, in conviviis frequentiobus, largius indulsisset, tandem, post spontaneas lassitudines aliquot dies perceptas, circa horam quartam pomeridianam incidit in universi corporis vehementem rigorem, pulsu parvo, raro, & tardo comitatum. Hunc paulatim mitescentem subsecutus est intensissimus totius corporis calor; pulsusque evasit magnus, frequens, celer, & inæqualis; accessit etiam sitis magna, oris amaritudo & siccitas, corporisque inquietudo, & ingens capitidis dolor. Duravit ardor usque ad quartam matutinā, quā tandem cum sudore solutus est. Postridie æger bene se habuit, excepto, quod dolorem gravativum, circa ventriculum in hypochondriis & circa os xiphoides ac dorsum, sentiret. Tercio die, circa horam secundam pomeridianam, rediit rigor, cum vomitu bilioso; quem ut prius reliqua subsecuta sunt symptomata. Paroxysmus, post duodecim ab invasione horas, per sudores rursus solutus est. Urina & alvi excrementa sunt biliosa.

II.

Afficitur in hoc ægro ventriculus & pancreas, vel alia aliqua pars vicina, circa ventriculum hepar & lienem existens; quod ex dolore gravativo, circa ventriculum percepto, item ex vomitu bilioso, & siti patet: afficitur etiam per sympathiam cor, & ab illo totum corpus; quod indicat

Y 2 rigor

rigor, pulsus immutatus, corporis ardor & inquietudo, item
caput, cuius indicium est cephalalgia.

II.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam sanguinis & viscerum, ventriculo vicinorum, biliosa & malignior; quæ tertio quoquo die, post justo minorem in corde effervescentiam, nimis vehementer effervescent, & tandem post duodecim horas defervescent, *Febris tertiana*, vel *Tertiana intermittens exquisita*, appellatur. Eaque ex rigore cum pulsu tardo, parvo, raro; & in sequente fervore, cum pulsu magno, celeri & inæquali, ac reliquis symptomatis, tertio quoque die redeuntibus, & duodecim horas durantibus, & postea cessantibus, est manifesta.

IV.

Causa procatarrética hujus morbi est mala illa diæta, in copioso, opiparo, & generoso cibo potuque diu servata: quâ multa cacochymia biliosa, in venis, & circum ventriculum, in visceribus vicinis, collecta, antecedentem huic morbo suppeditavit causam. Ea verò ibidem peculiarem ex morâ corruptelam contrahens, qua tertio quoquo die præter naturæ modum in corde effervescit, & inde in totum corpus distribuitur, *continens* hujus morbi & symptomatum existit causa.

V.

Nam materia illa biliosa, circa viscera abdominis existens, dum pondere & quantitate suâ partes illas tendit & gravat, producit ibidem dolorem gravativum, dumque pars ejus in habitatum corporis transfertur, & in cerebro in spiritus crassos, nec satis agiles, convertitur, spontaneæ totius corporis, eâ nimis gravati, nec satis agiliter his moti, oriuntur lassitudines.

VI.

Pars verò istius materiæ morbificæ, propter peculiare suum temperamentum, tertio quoquo die effervescente circa illa viscera incipiens, effundit se per venas gastricas, mesentericas & alias vicinas, partim in ventriculum, quo vomitum & oris amaroré excitat; partim in venam cavâ, unde deinde ad cor cù reliquo

quo sanguine ascendit. Verum quia illa primò reliquis sanguinis partibus non satis bene miscetur, ac præterea multas partes aqueas aliasque crassas admixtas habet, idcirco, ubi ad cor primū est delata, imminuit primò ejus calorē, eoque excitat pulsū parvum, tardum, rarum, & totius corporis frigus: in cerebro verò talem efficit spirituum animalium motum, ut illi, inordinate in partes fluentes, convulsivum quendam per totum corpus producant motum, quem nos, cum prædicto totius corporis frigore conjunctum, rigorem appellare solemus. Dissipatis verò aut dispersis ex sanguine aqueis & crassis istis partibus, iisque satis attenuatis, reliquæ illæ effervescentis humoris partes, cor ingressæ, & cum sanguine ibi melius mixtæ, concipiūt majorem calorem; unde oritur pulsus magnus, celer, creber, & propter heterogeneas sanguinis partes, etiam inæqualis; item, ob œsophagi ex ardore exsiccationem, sitis; & ob acres & ferventes, in cerebri & reliqui corporis membranas sublatos humores, dolor capitis & corporis inquietudo. Eaque tam diu durant, donec tota materia effervesca, vi fervoris, post duodecim horas in sudores soluta, per eosque discussa, apyrexiam sequenti die induxit. Quo ille bene se habet; excepto, quod dolorem gravativum circa ventriculum, à materia biliosa ibi hærente & partes illas gravante, sentiat.

VII.

Febris hæc, quia est tertiana intermittens exquisita, si recta curatio instituatur, ultra septimum paroxysmum non durabit.

VIII.

Curatio perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & præterea per intemperiei malignæ viscerum & sanguinis per contraria correctionem.

Primo itaque exhibeatur hoc purgans.

Rx. Spec. diatur bith cum robarb. dragm. f.

cremor. tartari. scrup. j.

Scammonij pulv. gr. xj.

aqua stillat. cichorij, card. benedicti an vnic. j. f.

X 3

syr.

Jyr: de cichorio cum rabarb. dr̄agm. vj.

Misce, F. potio, mane, die intermissionis, exhibenda,

Postridie educatur sanguis ad unicias octo.

Postea tali utatur vomitorio, horis duabus ante initium pa-

roxysmi exhibendo:

Rx. fol. asari viridia N°. xvij.

Contundantur in mortario marmoreo,

affundendo vini hispanici vnc. j. s.

& exprimatur succus, cui addantur

vini vomitivi dragm. vj.

F. Haustus vomitivus.

Morbo perseverante tale apozema præscribatur alterans.

Rx. tamarindorum vnc. ij.

rad. cichorij vnc. j. s.

herbar. cichorij, acetosæ, card. benedict.

an. M. j. s.

sem. 4. frigidor. major.

anisi, faniculi an. dragm. j.

Decoquantur in aq. commun. ad lib. j.

Colentur. & F. Apozema, de quo sumat aeger

haustum vnc. iij. vel iv, ter quaterve in die.

Huic subjungatur tale alterans & purgans:

Rx. rad. cichorij vnc. ij.

faniculi, petroselini an. vnc. s.

herb. cardui benedicti, cichorij, melissa,

fumaria, acetosæ ana M. j.

summit. lupuli, absinthij romani an. m. s.

fol. sennæ vnc. ij.

rabarb. dragm. iiij.

tamarindor. vnc. iij.

sem. anisi, faniculi, an dragm. j. s.

Decoquantur in aq. commun. ad lib. j. s.

& colentur pro Apozemate, de quo sumat

quotidie mane vnc. iiiij.

Sub-

Subinde autem bibat de hoc julapio:

Rx. syr. è succo limonum vnc. j.

granator acidor.

violar. ex infusione multipl. an vnc. f.

aq. cichorij, carduibenedicti an. lib. f.

olei vitriol. q. f. ad gratum acorem,

Misce, F. Iulep.

Ubi corpus aliquoties purgatum fuerit, detur ipsi tale sudoriferum, duabus horis ante invasionem paroxysmi:

Rx. aq. cichorij, cardui bened. an. vnc. j. f.

salis absinthij dragm. f.

spiritus sulph. gutt. xij.

M. F. Haustus, calide agro exhibendus; cui corpus tum plus solidum regendum, ut sudores proliantur.

IX.

Carpis manuum adhibeantur emplastra, quæ fiunt ex terebinthinâ, telis aranearum simul mixtis subactâ; vel ex fermento fecaliceo acri, cum aceto, sale, & pulvere nucis muscatæ. Hac enim ratione topicorū istorum vis insinuatur ibi venis; quæ inde cum sanguine ad cor delata, & postea per totum corpus distributa, dissipat illâ malignitat , quæ proxima hujus febris est causa.

X.

Æger versetur in a re aperto, puro, & refrigerante. Vixus sit ex pullis gallinaceis, carne vitulinâ, lactucâ, portulacâ, endiviâ, cichorio, acetos , & succo limonum alterat . Die intermissionis, paulo pleniore utatur cibo. Die paroxysmi, si inedia ferri non potest, sit valde parcus, & sumatur quinque horas ante invasionem. Potus sit cerevisia tenuis, julep ex succo limonum. Ifque in paroxysmo exhibeatur in eius vigore. In quo etiam abstineat a somno; sed dormiat in eius declinatione. Exercitatio vehementior vitanda.

COROLLARIA.

1. *B*ilis non semper producit morbum calidum.
2. *B*in membra emortui extirpatione amputatio fiat in parte viva:
3. *Q*uamobrem vasa deliganda statuimus post resectionem membra e-mortui, & cum Pareo ustionem vasorum rejicimus.
4. Possumus prescribere sudoriferum, simul purgans.
5. Possunt vulneratis potionis vulnerariae prescribi: contra Guidonem.
6. In vulneribus profundis & purulentis turundarum usus est necessarius.
7. Anni climacterici debent a medico observari.
8. Virgo, quamvis menses nondum passa sit, potest concipere.
9. In partu naturali nulla fit ossium separatio: contra Pareum.
10. Per venam diaphragmaticam pus, in empyicis, ad renes non defertur:
11. Sed dicimus pus ex thorace per pulmones ingredi arteriam venosam quod ex illa ingreditur cor, & ex corde ulterius per arteriam aortam defertur ad renes.
12. Uno rene affecto alter potest fungi suo munere.
13. Mensibus fluentibus foetus potest esse sanus.
14. Febris est incalcentia sanguinis justo major, vel justo minor, sed semper malignior.
15. Scammonium (in plurimis morbis) potest sine ullo periculo prescribi.
16. Extra mundum nullum datur spatium.

F I N I S.

00 A 6396

ULB Halle
002 928 167

3



Stra

OLLARIA.

ductione venarum, sed ab acri quodam succo, in
um continuo illabante.

r in testibus.

manet tamdiu in ventriculo, donec omnis sit

rire potest.

x-rite

colorchecker CLASSIC



20
M E D I C A T I O
I U V V E N I S

FEBRI TERTIANA

Intermittente Laborantis:

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

S U B P RÆS I D I O

V I R I C L A R I S S I M I

D. H E N R I C I R E G I I,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

P E T R U S P E S S E R v a n V E L S E N , R o n o - B a t a v u s .

Ad diem 19. Maii, horâ 9. matutinâ.



Naturâ & Industriâ.

T R A J E C T I ad R H E N U M ,

E x Officinâ Iohannis à Noortdijck, In Academ. Typograph,

A N N O c i c i c x l v i i .

